Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25958
Copyright: Admont, Benediktinerstift

atque retractationibus iugiter excolere nititur. Talibus profecto opibus hanc apud dominum gratiam homo promeretur. ut aque ductum illum piscine superioris de quo paulo ante diximus in via. idem in promptu habere valeat. qui predictum rapsacen in ierusalem transire. hoc est qui cum anime ad eterne pacis visionem tendenti. nocere et prevalere prohibeat. Assiduitate enim compunctionis diabolus devictus prosternitur. homo contra ignitas eius sagittas magis ac magis convalescit et confortatur. quemadmodum ex sequentibus verbis manifestius significatur. Et egressus est inquit scriptura ad eum helyachim filius elchye qui erat super domum. et sobna scriba. et ioe filius asaph a commentariis.

Tres viri isti. helyachim. sobna atque ioe. unum hominem significant. hominem videlicet illum qui per boni laboris exercitium. secumque meditationis studium. nobilis fullonis illius de quo premisimus ager effectus. atque per dulcem et desiderabilem aque ductum. assidue scilicet compunctionis meritum. a pristine conversationis sordibus. divinitus ablutus est et emundatus. Elyachim enim resurgens dominus interpretatur. quod nomen apte illi congruit. qui in novitate vite resurgens. dominari peccatis et viciis promeruit. Sic sic resurgendo et dominando. filius elchie. filius inquam omnipotentis dei fit. quem nomine suo helchias convenienter exprimit. Helchyas quidem deus dominus interpretatur. Fit etiam sobna scriba. quod sedens vel revertens dicitur. quando a via iniquitatis aversus. totoque corde et corpore ad dominum reversus. secundum sanam sacre scripture doctrinam quiete et humiliter graditur coram deo et hominibus. Fit nimirum scriba. quando divina precepta cordi suo diligenter perscribit ut custodiat. Fit sedens. quando in omni profectu humilitate. ut humili deo complaceat. Fit revertens. quando ab exterioribus et caducis rebus se ipsum retrahit atque constringit. ut toto cordis desiderio transire in dominum valeat. Sicque et ioe. quod interpretatur frater hic. sive frater domini. vel factura fratris merito appellari potest. quando dei omnipotentis cuius servus est per conditionem. frater fit per